









1700.

1. Cyprianius, Iustus Salvius: De siglo.
2. Eisenhart, Jakob: Falsum in persona.
3. Glend, Jakobus Balduinus: Specimen mathematicum,  
quod ex diversis mathematicis partibus, i.e. primis ex  
arithmeticis, Geometris, chronologica et statistica collecto-  
bas Theses ... submetit.
4. Homborgius, Henricus: Programma de iuris institutionum  
Institutionem usq; et autoritate.
5. Homborgius, Henricus: Programma de juri firmatissime  
XVII. Disputationibus et Comitiis var. dict... Theses  
juri contrarium ... a Fratibus Henrico Wall-  
hausen ... habentis praemissionem.
6. Werckfius, Joannes: Programma Disputationibus publicis  
Grotianis, respondens ... Iohanne Andrea Curte-  
daburii; praemissionem ...

1701.

1. Gader, Iohannes Petrus: De eventu coniunctionum
2. Lichtenstern, Fridericus Gregorius et Lessius, Henricus  
Siueckius: Quod Fridericus I. R. ab Alexander III.  
P. 18 celestius non fuerit protinus.
3. Metbonius, Hermannus Richterius: Oratio de genitivis  
historiae Germanicae fortibus, cum ... propositio nem  
historiarum ... auspicietur
4. Niemeierus, Joh. Bartholomaeus: De conjugio cum patre  
uxore, divino iure prohibito.
5. Wagner, Rudolph Christianus: De progressu parallelo  
analysis et processus mathematicae

1702.

1. Bachman, Gott. Christph: Progymnas, quo oratio  
de jure iuris Romani et elegantioris litterarum  
Tuscae studia ... publice habenda in dictior

2. Boetticher, Andreas Julius : De respiratione factio  
in ~~stern~~ utero
3. Engelbrecht, Georg : De iure biblio-theologiae
4. Engelbrecht, Georg : Doctra - guardia exempl  
1703 - 1743.
5. Engelbrechts, Joannes Wilhelmus : Programma de causis  
feliciter habicie reprobatae doctrine moralis, quo  
commissiones et fundamenta illucne sunt regnante  
ponenda . . . innotab.
6. Hamborgius, Anders : Deliberis commendationes.  
1703.
- 1<sup>er</sup> Eisenhart, Joannes : De iure diplomatico 2 Sept. 1703  
2<sup>er</sup> 1736.
2. Engelbrecht, Georg : Cattatio iuris communis et  
Brunsvico-Lumburgensis.
3. Schmidus, Anders : Tumbari Servitores . . .  
exponet.

Verle

J. Schrevers, Fredericus : Oratio De typis academ  
rum ab eruditis et sapientibus annotatis

P 533

RVDOLPHI CHRISTIANI VVAGNERI

Mathem. Prof. Publ. et Ordin.

DE

PROGRESSV PARALLELO  
**A N A L Y S E O S**

<sup>ET</sup>  
**P R A X E O S**  
MATHEMATICAE  
PROGRAMMA,

quo  
*lectionum astronomicarum*


publicarum  
auspicia

mathematum cultoribus

IN ACADEMIA JULIA  
significat.



LITERIS GEORG-WOLFGANGI HAMMI, Acad. Typogr.  
MDCC I.





## Mathematum scientiæ studiosis

RVDOLPHVS CHRISTIANVS VVAGNER  
felicitatem perennem!

 Uicunque illas philosophiæ partes, quæ ex pluribus de promtæ communi mathæfeos nomine gaudent, secundum rationem et genium suum estimant, facile cognoscunt, cuncta in iisdem tractanda duas in classes, quarum altera cognoscendorum, altera faciendorum est, commode dispesci posse. Illa theoretica, hæc vero præctica salutantur. Vtrisque cum theoremate, quod meditationi; et problemate, quod actioni conveniens est, multa intercedit cognatio. Theoriam ergo cum praxi binos quasi cardines dicere licet, in quibus tota veritatur mathematum scientia, ea tamen lege, ut alterius altera opem poscat perpetuam, et propinquò admodum nexu conjungi desideret. Quemadmodum enim theorиæ perfectio tunc demum elucessit, quando ipsi praxi varios cedit in usus, ita e contrario praxis theorиæ perfectione destituta vel tota mox corrue, vel nutare ad minimum plerumque in conserto habet. Et utut inter utramque magna versetur

A<sup>2</sup> diffe-

differentia, ac æternæ veritatis sit, theoriam circa praxin nequaquam ipsam esse praxin: salva tamen nunquam non erit vix memorata praxin inter et theoriam connexio, quam ex parallelo earum progressu ostendere, et pro ratione instituti deducere mihi est animus. Rem autem omnem in compendio quasi monstrari posse existimo, si præcipui ex theoria capitii illius, cuius beneficio humani virtus ingeni maxime attollitur, analyseos nimirum, parallelum cum praxi progressum exhibuero.

Analyzin mathematicam quidam ad autorem Platonem referre conantur, qui dicitur primus *quæsumum* sumissem tanquam *datum*, et hinc ad *data* progressiendo obtinuisse collationem *cogniti* et *incogniti*, quam hodie *equationem* appellare solemus. Hinc veteres geometræ multam occupavere operam in excolenda *datorum* doctrina, et extat Euclidis liber *datorum*, in quem Græcus autor Marinus commentarium scripsit. Huc etiam referri meretur de *locis* doctrina. Etsi enim aliquid datum non sit, et re tamen est, si locus saltem, in quem illud cadit, sit datus: verbicauſa; si constet, quod quæritur punctum necessario esse in dati cujusdam circuli circumferentia. Et hac in scientia præclara enituit industria Apollonii, titulo mathematici magni ornati, cuius pleraque circa materiem hanc scripta iniquo in rem mathematicam fato periere quidem, at Pappus tamen ex iis uberiorum propositionum egregiarum segetem nobis conservavit, eaque ratione occasio data est Maurolyco, Vietæ, Snellio, Ghetaldo, Fermatio, Viviano et aliis recentioribus geometris, deperditos illos libros restitu-

stituendi, vel saltem per alios non inferiores ja&sturam eorum compensandi. Hæc vero licet debito frustranda minime sint encomio, nondum tamen satis exhibent analysin, quæ nunc sub algebrae nomine celebratur, et quæ lineas tractat adinstar numerorum, non quidem in casibus specialibus, seu exemplis, sed in tota earum quasi generalitate, per literas vel alias notas sive species, unde et algebra speciosa dici convevit. Hanc veteribus non plane fuisse incognitam, tum ex Archimedis et Apollonii scriptis quodammodo appareat, tum sane omnium maxime Diophantus ostendit; in numerorum quippe doctrina sæpe tam subtilis, ut hodie etiam ipsa Algebra adjutis palimam reddere dubiam videatur.

Harum itaque artium veteres ignaros fuisse ut propter modo dicta nemo facile crediderit, ita vero admodum simile appareret, ipsos inventionum id propter vestigia suppressisse, quo eo majori conclusiones illorum essent admirationi. Accedit quidem hanc ratione non solum major inventis species et existimatio, sed et memoriae non minimum adjumentum ex eo, quoniam, qui artem hanc inveniendicallet, non, ut theorematum et canones ab aliis inventos in subdium negotii vocet, opus habet, cum ipse statim quoscunque in rem suam facientes condere queat; publica autem utilitas, quod haud quaquam inficias eundum, accessione et angmento, hoc modo multum destituitur. Laudanda ergo eo magis est illorum posteritas, quæ sacra hæc Eleusinia prodere, atque sic arti inveniendi indies magis magisque promovendæ, novisque successu temporis excogitandis artificiis ansam plurimam

mam dare haud est dignata. Illorum autem primi,  
(ut quam longissime in memoriam præteriti temporo-  
ris redeam) qui artem hanc illustrarunt, monumen-  
tisque propriis consignarunt nominandi mihi viden-  
tur Arabes, inducto exinde arti *algebrae* nomine, sive  
a Gebro, sive aliunde, de quo pluribus disquirere in-  
stitutum meum in præsenti non patitur. Est in pri-  
mis Arabs quidam, cui Mahumeti nomen, quem au-  
torem regulæ a barbaris cosæ et zensi dictæ allegant,  
quæ hodierno enuntiandi more denotat solutionem  
æquationis quadraticæ plenæ, seu, in qua occurrit  
x (cosa, res, radix) et xx (zensus seu quadratum).  
Et hanc ad æquationem in effectu problemata plana  
reducuntur. Quis primus artem ab Arabibus ad chri-  
stianos transtulerit, non constat. Illud certum est,  
Lucam a Burgo, S. sepulchri monachum, jam tum  
seculo post natum Christum quarto decimo editis eam  
prodidisse scriptis, quamvis ultra regulam zensi, seu  
problemata plana haud sit progressus. Accedit, quod  
algebraistæ illi ipsius algebrae ad geometriam applica-  
tionem destituerentur, atque adeo ab eo, quo nunc gau-  
det, perfectionis gradu longe abessent. Ut in promptu  
causa sit, quamobrem inclitus ille, artisque cæteroquin  
hujus satis peritus a Regio Monte doctor graviter  
sæpe tunc conquestus sit, esse sibi quidem modum  
solvendi problemata quædam algebraice, non tamen  
geometrice. Nempe justo majus tum inter quanti-  
tatem discretam et continuam discrimen constitue-  
bant, abutentes vulgari illa quantitatis divisione, et,  
quod inde sequitur, connexionem utriusque non ac-  
curate satis perspicientes,

Por-

Porro limites scientiae, quæ penes Arabes vi-  
guit, transgressus est, artemque ulterius promovit  
seculi sexti decimi initio Scipio Ferreus Bononiensis,  
qui inventor regulæ cubi et cosa extitit, vel etiam  
cubi et zensi, ejusque ope modum dedit resolvendi  
æquationes cubicæ per extractionem radicis cubicæ,  
præclarum quod inventum accuratius deinde exco-  
lueret Nicolaus Tartalea, ( qui et proprio, ut ajunt,  
marte idem ex cogitavit) ac Hieronymus ille Carda-  
nus, qui a Tartalea id ipsum obtinuit. Ludovicus  
deinde Ferrarius, inclyti, quem modo nominavi, Car-  
dani discipulus, adinvenit resolutionem æquationis  
quadrato - quadratici. Et tamen nemo in hunc usque  
diem suppeditare potuit modum resolutionis æquatio-  
num altiorum, id quod nihilominus ad ulteriorem  
scientiae perfectionem per necessarium foret. Taceo  
nunc, quid Stifelius in Germania, in Hispania, Nonius  
Buteo in Gallia, et alii eodem sexto decimo seculo  
hac in re præstiterint.

Soli tamen Francisco Vietæ Gallo hæc vindican-  
da est gloria, quo primus jam recensito seculo ver-  
tente, veram applicandi algebraam ad geometriam,  
et lineas numerorum instar tractandi, rationem mo-  
dumque determinaverit, atque hunc in finem literis  
alphanumericis easdem designarit, calculo numericō  
ad literas simul translato. Quo ipso sicuti Harrioto,  
Cartesio, aliisque glaciem quasi fregit, ita generalem  
insuper extrahendi ex æquationibus radices nume-  
ricas ad instar numerorum absolutorum viam mon-  
stravit. Qua solertissimi hominis industria excitati  
in sequentibus temporibus viri eruditissimi, interque illos  
Cartesius nobilissimam hanc mathefeos partem magis  
adau-

adauxit, ubi modum docuit, lineas curvas ordinarias geometriæ per æquationes exhibendi. Haud secus atque Fermatius et Jo. Huddenius, quorum alter exemplo Diophanti applicationem algebræ ad numeros, alter analysin æquationum in suos divisores, laudabili prorsus studio, promoverunt. Ut non dicam quod Franciscus Siusius rationem exhibuerit revocandi problemata ad æquationes duarum incognitarum, quæ sunt ad lineas, seu ad loca per intersectionem suam quæsitum exhibentia. Perinde ac Jo. de VVitte sectiones conicas analyticè in plano exposuit.

Hactenus analytis tantum ad scientiam finiti fuerat applicata; sed Archimedes modum quandam exhibet, figuræ resolvendi in partes infinite parvas, quem nonnulli recentiorum, in iisque Cavalierius, Gregorius a S. Vincentio, et Fermatius, ac in primis Hugenius, VVallisius et Barrovius summopere amplificarunt. Deerat tamen adhuc hanc in rem faciens calculus, sine quo difficultiora praestari haud poterant, propter imaginationem tunc haut quamquam sufficiaram, non aliter ac Geometria ordinaria ante Viettam et Cartesium calculo destituebatur conveniente. Atque hic est celebris ille infinitesimalis, (differentialis scilicet vel summatorius) a Per-Illustri ac supra laudem posito Domino Godefrido Guilielmo Leibnitio excogitatus, quem Dn. Marchio Hospitarius, et Domini Bernoullii fratres egregie excoluerunt, cujusque ope, uti multis jam est ostensum specimenibus, mirifice applicatur mathesis ad physicam et mechanicam, propterea quod natura semper procedere solet per variationes continuas, adeoque infinite

finite parvas. Et in nonnullis similia etiam dedit celeberrimus Nevvtonus, mathesin ad naturæ principia peregregie adaptare conatus.

Atque his nunc de progressu analyseos præmissis, restat, ut videamus, quemadmodum et praxis mathematica sua sumserit augmenta. Primum autem Architam ajunt Tarentinum cœpisse matheſeos uſum ostendere in vita communi; improbante li-  
cet Platone, exiſtimateque, ſcientiam hiſ nimis ſe demiſſuram curis. Reſtius tamen de hoc ipſo ſentiunt, illudque Tarentini factum comprobant, quoquod ſtudia haec bene intelligunt et ingenio ſuo conſequuntur. Enimvero quidni ea, quæ nobis divina concesſit benignitas beneficia ſcientias nempe, transferamus ad uſum? Machinas onerum movendorum, et urbi-  
um expugnandarum non defuſſe veteribus, conſtat. Vnde Demetrius rex ob inventas tales, quas modo dixi, machinas dicebatur Poliorcetes. Archimedes poſtea, partem non minus practicam quam theoreticam, inſigniter auxit, et onera maxima, stupentibus rem an-  
tehac inuſitatam conſpicantibus, loco ſuo dimovit, Romanisque in Siracuſarum obſidione potenter admo-  
dum reſtitit, iuſuper etiam, ut quidam affiſmant, ſpe-  
cula cauſtica, mirandum ſane effectum præſtantia, ex-  
coſiguit. Pariter ac Ctesibius, Hero et alii hydraulicam magna cum laude et admiratione exercuerunt. Quæ omnia, etiā egregia pro rorſus ſunt et laude digniſſima, nullatamen in re veteres magis excelluiſſe videntur, quam in architectonica, cognatiſque artibus, pictoria cum primis et ſtatuaria, prout id ex ruderibus aedi-  
ficiorum, signis item ſeu ſtatuis et numis hodie-  
num extantibus haud obscure appetet; quamvis ex

B

scripto-

scriptoribus architectonicis præter Vitruvium nemo  
ex illa ætate nobis supersit. Musicos tum etiam floruisse  
præstantes, Aristoxenis et aliorum scripta harmonica  
non finunt nos ambigere. Pari modo instrumentorum  
mathematicorum, præsertim geodæticorum necessa  
rio apparatu illos fuisse instructos, haud est dubium.  
qualia sunt circuli divisi, dioptræ, sphæræ, sciaterica,  
horologia, clepsydræ, idque genus alia.

Illiud solum vehementer dolendum est, propemo  
dum omnia in sequentibus temporibus, everso præser  
tim imperio Romano, per irruptiones populorum,  
immanitate barbarorum, ita esse vastata, ut fere denuo  
excogitanda essent. Nec illa tamen etiam ætas invent  
orum laude plane defraudanda est, propterea quod  
pyxidem nauticam nobis detexit, cuius ope naviga  
tio mirum in modum est promota, imo magna or  
bis terrarum pars, ante incognita, est detecta. Ma  
ximum autem potentiae humanæ robur accessit, post  
quam homo quidam, ut volunt, Germanus, tonitrua  
ipsaque Jovis fulmina imitari conatus est, invento pul  
vere isto nitrato seu pyrio, et fabrefactis organis bel  
licis, ope pulveris hujus agentibus, quo ipso postmo  
dum everti cœpit, quiçquid etiam æternaturi funda  
menti ac roboris ante credebatur. Vnde peculia  
ris nunc inter partes ad praxin mathematicam spectan  
tes doctrina obtinet, quæ circa ignes missiles tales, tum  
militares, tum etiam ludicos versatur et pyrotechnia  
nominatur. Et licet pulvis hic ab initio non nisi ad exti  
tum humanum conduxerit, adhibitusque fuerit; tan  
dem tamen rectus quoque usus ejus introductus est, ad  
superandas resistentias aliis viribus cedere nescias; ex  
quibus saltim illum, quem in rumpendis præstat saxis,

ver-

verbi causa nomino. Ea enim, quæ olim non alter ac malleis ingentibus, multoque labore in frusta redigebantur, nunc ope pulveris hujus ita perdonantur, ut vastissimæ moles uno quasi istu disrumpantur, aut dejiciantur. Laudari in hac circa ignis elementum mathematicorum praxi etiam meretur caminorum, furnorum ac fornacum utilissima pro parcendis lignis emendatio, qualem non tantum egrae ex sua, aliorumque sententia, in annotationibus ad architecturam Goldmannianam edocet Celeberrimus L. C. Sturmius, sed et in exemplo furni vitriarii prope Dresdam ingeniosissime inventi demonstrat Vir de mathesi ac naturalium scientia insigniter meritus, Generosissimus Dn. de Tschirnhausen, dignum profecto, quod ad quasvis alias, præcipue vero metallariorum tabernas transferatur.

Præterea, cum veteribus parum admodum de aeris usu atque effectibus innotuisset; recentiores contra, constitutionem ejus vimque elasticam cura longe majori indagarunt, excogitato scelopeto ventaneo, seu bombarda pneumatica (de cuius autore varie disceptatur) et machina vacui per Gerickium, cuius beneficio æer antliis, aquæ in modum, exhaustur, quod ipsum artificium mirandos certe oculis effectus exhibuit. Ex aeris quoque pondere dependet barometrum, cuius fundamenta jecit quidem Toricellius, sed usum ad prædictiones tempestatum, quem modo laudavi, Gerickius ostendit.

In hydraulicis etiam longe supra veteres progressi sumus, inventis a Germanis metallariis machinis parallelogrammis, quarum ope rotæ munia sua in exhaustur, quæ in metalli fodinis stillant aquis, obeunt,

licet ultra octavam milliaris partem fodinæ ab ipsis  
secesserint. Libellandi quoque ars ad majorem mul-  
to perfectionem deducta est, insigne usu se ita com-  
mendavit, ut nec civilis, nec militaris Architectus  
audire queat, qui hujus accuratiori notitia est desti-  
tutus. Nec longius differenda utilissimorum molen-  
dinorum historia est, sed de iisdem sequentia, licet non  
nisi summarie monenda sunt. Molarum igitur usus  
ante permultos invaluit annos, quæ vero tunc tempo-  
ris non nisi versatiles et manuariæ erant, ope servo-  
rum movendæ et circumagendæ. Cessante vero post-  
modum servorum labore, jumentariæ adhibebantur;  
tandem autem, infinito fere laboris sumptuumque com-  
pendio, aquariæ excogitatæ sunt molæ, quarum usus se-  
se dein longe lateque ita diffudit, ut largissimo scenore  
ipsum hoc inventum quotidie millenas utilitates omni  
societati humanæ usque hic præstiterit. Dantur enim  
præter molas pollinarias, passim obvias, oleariæ et  
moletrinæ, chartariæ, ferrariæ, qualern etiam ad gem-  
mas ipsas v. g. chalcedonium, amethystum, jaſpidem,  
etc. ferrandas ac poliendas, item ad terenda et polien-  
da maximæ molis vitra cauſtica adhibet ſupra lauda-  
tus Generofißimus Tſchirnhuſius. Molæ porro in u-  
ſu ſunt pro ducendis, malleandis, ac in latinas atte-  
nuandis, pariter etiam poliendis metallis et vitris pro  
speculis majoribus. Molæ pro conficiendo pulvere  
nitratō, terebrando ligno atque ſclopetis; molæ iti-  
dem fullonum et aromatariorum, et, quæ noviflime  
inventæ ſunt, ad trituranda frumenta, et aliæ. His  
ſubjungendæ ſunt molæ alatae ſeu pneumaticæ, post  
aquarias repertæ. Et quemadmodum molendina  
talia mechanice in majoribus operibus; ſic in minori-  
bus,

bus, imo minimis horologia automata minora scite eandem excent. Fuisse autem veteribus automata, ponderum ope in motum agenda, uti non est, cur dubitemus; ita de horologiis eorum automatis liquido satis non constat, et si rex Persarum Carolo M. tale quid dono misisse dicatur. Tandem in Germania, ut creditur, excogitata sunt horologia automata minora, seu portatilia, quæ barbaris maximæ fuerunt admirationi, eo, quod causa movens extrinsecus non appareret. Quibus omnibus, postquam ingeniosum pendulorum inventum iisdem est applicatum, multo major perfectionis gradus accessit. Magno autem adjumento pendula sunt astronomis. Felicissimus enim astronomiae restaurator Tycho Braheus, cum quam maximo teneretur desiderio accurioris cujusdam temporis mensuræ, et hunc in finem adhiberet modo sabulum, modo hydrargyrum, modo alia, erant tamen imperfecta isthæc omnia, adeo, ut voti sui non redderetur compos. Seculo vero præterito negotium hoc tandem per pendula Hugenii complementum suum est adeptum. Accessit autem ulterius astronomiæ et physicæ subsidium plane insigne, inventis scilicet in Belgio telescopiis et microscopiis. Illorum ope ipsum mundi systema; horum vero beneficio partium ejusdem minorum struætura detecta est, et indies magis detegitur; ut nunc reliquam mechanics astronomicæ suppellectilem, qua Tycho, Hevelius, aliique excellentes viri usi sunt, et qua inclytus ille, quem honoris causa nomino, Noribergensium astronomus, G.C. Eimmar-tus siderum scientiam egregie amplificavit, raseam.

Musicam autem, et statuariam quod attinet artem, sub judice lis est, an veteres in his a nobis sint superati.

rati. In pictoria tamen arte multa possidemus egre-  
gia inventa, quæ veteribus ignota fuisse videntur.  
Talia sunt, colores oleo subacti et permixti, picturæ  
que inde durabiliores, ex Belgæ cujusdam ingenio;  
typi figurarum ligno ærique incisi, quorum ope mi-  
randum in modum multiplicantur ejusdam laboris  
exempla. Qua occasione saltim attingo egregium,  
et quo orbi literato utilius excogitari vix poterit,  
artis typographicæ in Germania (quamvis quidam  
Sinenses ejusdem autores constituere cupiant) inven-  
tum, cuius licet exigua fuere initia, hodie tamen ad  
summum perfectionis gradum est perductum. Ars  
etiam pingendi encausto in laminis metallicis hic re-  
ferenda est, cujus generis picturæ, nisi vim patientur,  
pro æternis sunt habendæ. Taceo melanographemata  
(vulgo artis nigræ nomine venit) Roberto principi Pa-  
latinato debita, idque genus alia. Architectura autem no-  
stra præ veterum illa in eo amplior est, quoniam et sex-  
tæ columnæ in civili, et architecturæ militaris accessit  
inventum, quod ultimum hodie post repertum pulve-  
ris pyrii usum, tormenta bellica, et alia, pro extruendis  
fortalitiis maxime omnium necessarium fuit.

Possent plura utique, imo innumera in medium  
proferri recentiorum inventa mathematica practica,  
sed duo tantum coronidis loco vel verbo memorare sa-  
tis erit; machinam textoriam a Scoto inventam, am-  
plissimi in vita communii usus; deinde machinam astro-  
nomicam, ab excellentissimo Danorum mathematico  
Domino Romero ingeniosissime excogitatam.


Atque hæc quidem ex vastissima materie paucis so-  
lum, et, quantum institutu hujus ratio permisit, deliba-  
re, visum fuit, quibus alioquin, pro dignitate sua ex-  
ponen-

ponendis , ingens volumen vix ac ne vix quidem  
suffectorum esset. Mibi enim in præsens id tantum  
constitutum fuit , ut , quia more institutoque nostra-  
tis hujus Academiæ , antequam publicas meas ma-  
thematicas lectiones auspicarer , felicis primordii cau-  
sa aliquid commentandum erat , brevi ostenderem ,  
quemadmodum theoriae potissima pars , analysis nimi-  
rum , sua sumserit incrementa , nec non praxis in hac  
atque illa matheseos parte ad majorem adscenderit  
perfectionem , suo tempore pluribus deducendam.  
Quo circa nihil jam reliquum est , quam ut Serenissimis  
Potentissimisque Domus Brunsvicensis ac Luneburg-  
ensis Principibus , incliti hujus Athenæ i Nutritoribus  
Munificentissimis , Dominis ac Principibus meis lon-  
ge clementissimis , pietatem tester meam , et subiectis  
firma animi devotione clementissimam Eorum depræ-  
dicem gratiam , qua in demandanda mathernatum pu-  
blica et ordinaria provincia tenuitatem meam beni-  
gnissime respicere . et , ut eadem publico in Patrum  
confessu mihi traderetur , clementissime jubere non du-  
bitarunt. Erit qui rependet vicem DEVS , ardentis-  
simis pro perennatura **OPTIMORVM PRINCI-  
PVM** felicitate ac gloria , precibus atatem mihi defa-  
tigandus. Clementissimo itaque Forum mandato hu-  
milima obsequia mea probaturus , proposita juventuti  
academicæ scientiæ dogmata , qua debo fide et perspi-  
cuitate decenter illustrabo , usumque singulorum et  
quæ in praxi occurrunt omni studio ac solertia com-  
monstrabo. Id excitabit vero egregie hanc , quam spon-  
deo industriam , si vos , qui nomen et famam ex stu-  
diis petituri estis , ornatissimi juvenes , operas vestras  
meæ jungere , frequentique confluxu amorem has in  
lite-

literas vestrum testari quoque haud gravabimini. Non enim vos latet, esse et hæc studia, in quibus sapientis dignitas, perinde, ac reipublicæ utilitas, non parum versatur. Cumque cæterarum hujus mathematicæ doctrinæ partium, omnium consensu, facile excellen-tissima ea sit scientia, quæ relicta hac terrena sublunarium mole in cælestibus occupationibus tota derinetur, vastissimumque corporum horum phæno-mena solerti scrutatur indagatione, id propter etiam una omnium maxime merebitur, a cuius placitis hypothesibusque tradendis ac explicandis primordia nostra capiamus. Eum in finem toti astrorum doctrinæ utilissimam *systematum corporum mundanorum tractationem* præmittam, atque, qualia olim et nunc ingeniose excogitata sint, in prælecio-nibus publicis ita explicabo, ut, adductis hypothe-si illarum autoribus, singularumque constitutio-ne ac fundamentis curatius expensis, iis tandem virorum in hac scientia versatissimorum judicium sub-nectam. Multum etiam exinde emolumenti priva-tas in commentationes meas redundabit, in qui-bus, commonstrato usque huc sphæræ terrestris in Geographicis usu, cœlestis illum, ipsasque astrognos-ticas institutiones, vestrum rogatu, denuo subjungam, partemque lucidiorum per hyemem noctium lafran-dis sideribus, vobis comitibus, sedulus impendam. Ade-ste igitur, nobilissimi commilitones, et ad publicum, quem indicavi, laborem hunc, lunæ proximo, hora ante meridiem septima, in auditorio nostro B. C. D. ordi-nandum frequenti numero, ac faciles confluite. Ita valete, et res vestras ex voto, id est, felici gerite successu.

PP. in academia Julia, calendis  
decembribus clo 10ccx.





**ULB Halle**  
003 348 89X

3



TA - PL

b12





RVDOLPHI CHRISTIANI VVAGNERI  
Mathem. Prof. Publ. et Ordin.  
DE  
PROGRESSV PARALLELO  
**A N A L Y S E O S**  
**P R A X E O S**  
**MATHEMATICAE**  
**ET**  
**PROGRAMMA,**  
quo  
*lectionum astronomicarum*  
*publicarum*  
*auspicia*  
**mathematum cultoribus**  
**IN ACADEMIA JVLIA**  
significat.



Litteris GEORG-WOLFGANGI HAMMI, Acad. Typogr.  
MDCC I.